

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CXXXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

compater, D. Illyricum & fratres tuos in Ministerio, & D. Doctorem Ludovicum  
Gremplium, & omnes nobis amicos, nec non piam uxorem tuam, amanter fal-  
vere jubeo. Interim vale & novo anno feliciter fruere. Datae sub candelis, in Fo-  
to Circumcisionis Domini. Ao. 68.

T.

Wolffgang. à Kötteritz.

## CXXXVII.

*Salutem per Ego propter Immanuelem nostrum.*

**N**Obilis ingenio, vera pietate celebris  
Doctor, & ô multis, Vir reverende, modis.

Quod libet alternos invita Pallade versus

Texere, vel metricos composuisse pedes;

Id, nisi lætitiae præsentis temporis expers,

Non, mihi qui virtio vertere possit, erit.

Dum pia concurrens frequenti ecclesia cœtu

Cantica solenni carmine lata canit,

Grata Deo, memor officii, cunabula Christi,

Dum canit ætherei concio sacra chori.

Quodquot servitio coelos plantare jubemur,

Nos multo ergo minus conticuisse decet..

Transit exactus bis sex his mensibus annus,

Convenit hunc cursu nunc iterare pari.

TranslIt eXaCtVs bIls seX hIls MenslbVs annVs,,

ConVenit hVnc cVrsV nVnc Iterare pár.

Ex quo virgineâ natus salvator ab alvo

Filius ipse Dei, splendor, imago patris.

Mors mortis, mortem propria qui morte subegit,

Factus homo nostras venit obire vices.

Diluit is nostram, profuso sanguine, labem,

Cœlestesque patent, hoc reserante, fores.

Unde salutiferum, cute circumcisus, J E S U

Nomen (id angelica voce jubente) tulit.

Gaudia

A. 1568.

PARS TERTIA.

261

Gaudia sunt primi mensis sacrata calendis,  
Nomen qui à Jano vate bifronte tenet.  
Tempora ( si perhibent antiqua volumina verum )  
Talibus assuetis acta fuere modis,  
Exoptare, bonis novus ut successibus annus  
Eveniat, strenas mosque tulisse fuit.  
Scilicet ut mutuum plebs restaretur amore,  
Candorisque sui symbola certa daret.  
Hactenus his libuit majorum moribus uti,  
Æmula & hunc retinet natio nostra modum.  
Dum se literulis ultroque citroque salutat,  
Inque vicem strenas distribuisse solet.  
Accipe nunc igitur, Doctor Reverende, salutem,  
Et quas ardentи pectore fundo preces.  
Principio fœlix, mediis fœliciter annus  
Cursibus, at finis lætior esto tibi.  
Utile principium melior fortuna sequatur,  
Exitus acta probans, optima quæque ferat.  
Incolumem verus te servet pastor ovili,  
Cujus nunc verbi semine pascis oves.  
Per quem colligitur numero Ecclesia cœtu,  
Imbibit & summi jussa verenda DEI.  
Ergo tibi meritò, gratanti voce, precamur,  
Ut parcat vitæ Parca maligna tuæ.  
Quam decorat sapiens pietas, affabilis uxor,  
Altera pars animæ si quoque salva tuæ:  
Enatis videoas natos, serisque nepotes,  
Ut soboles crescat semper, honosque domus.  
Junior, ante alios, fœlici nomine dignus  
Huldrychus salvos transigat ipse dies,  
Ut sese ingenii docilis solertia prodit,  
In puero miris conspicienda modis,  
Me nisi judicium vel mens prænuncia fallit,  
Delicia patris, gaudia matris erit.

Kk. 3

Nuuē

Nunc brevitatis amans, ut paucis plurima verbis  
 Comprecer, incolumis sit tua tota domus,  
 Collegisque tuis eadem præcor optima cuncta,  
 Hos regat in cunctis, qui regit astra, D E U S.  
 Præsens iste novus, lætis successibus, annus  
 Transeat, & placido tum quoque fine fluat.  
 Flinnerus summum summa qui prædicat æde,  
 Thomanamque regens voce sonante plebem,  
 Et qui fragrantes, Florus, Negelinus, odores  
 Spargunt, cum Thoma, clavigerique duo.  
 At reliqui fratres, toto mihi pectori chari,  
 Annos grandævi Matthusælis agant.  
 Tu ruber, aut aliter si vis, Erythræ, vocari,  
 Sic valeas, validus possit ut esse Valens.  
 O tibi lanificæ prolongent fila sorores,  
 Vivito Nestoreos, frater amande, dies.  
 Vir gravis, Ernesti cui vox benè competit apta,  
 Qui simul & regis nomen & omen habet.  
 Kyber, Davidicæ percurrens pollice docto,  
 Ut Christum resonent, fila sonora chelys.  
 Omnibus hi vivant numerisque modisque beati,  
 Sint vegeti, validi, corpore, mente, bonis.

Studgardiæ, Nonis Januarii,  
 Anno 68.

*Tuus & Vester totus*

Wilh. Bidembach, D.

\*\*\*\*\*  
**CXXXVIII.**

**R**Everende Vir, frater in Domino mihi & omnibus, qui Christum amant, observande. Hesterno demum vespere tuas accepi literas, datas 20. Januarii. Itaque ne abiturientes ad Grempianas nuptias absque his literis dimitterem, non potui, antequam hasce scriberem, cum Reverendo patre, D. Brentio, & reliquis meis Collegis hodie conferre, de M. Flacio Illyrico. Hæc namen festinanter exarare volui, quæ sequuntur, datus mox (volente Do-  
 mino)